UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

V. De conditionibus appositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

Quamvis hoc faciendo graviter peccet, debet nihilominus illi adhærere, cum qua contraxit de præſenti. Et ſi cum utraque contraxerit de præſenti, *d.c.1.*
adhærere debet ei, cum qua primo contraxit: quia, ut dictum ſupra, ſponſalia de præſenti ipſum eſt matrimonium, *c.2. & 3.*
quod ſemel contractum dirimi non poteſt, & ſecunda deſponſatio eſt ipſo jure nulla. *h.t.*

De Conditionibus appoſitis.

TIT. V.

1. *Quænam conditiones apponi ſolent in deſponſatione?*

EÆ vel contra ſubſtantiam ſunt matrimonii, vel alias turpes & impoſſibiles, vel denique honeſtæ & licitæ.

2. *Quæ dicuntur eſſe contra ſubſtantiam matrimonii?*

Quæ vel ſunt contra bonum matrimonii ſeu prolis; veluti ſi quis dixerit: *Contraho tecum, ſi ſterilitatem procures, & generationem prolis evites:* vel contra Sacramentum, ut: *Contraho tecum, donec inveniam ditiorem aut meliorem*, vel contra bonum fidei, ut: *Contraho tecum ſi corpore tuo quæſtum facias.* Hæc enim

tria

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Can. Omne. XXVII. qu. 2.

tria ſunt matrimonii bona, proles, fi[des,] Sacramentum; & ſub aliqua dictar[um] conditionum contractum matrim[oni]um eſt ipſo jure nullum: quia contr[a ſub]ſtantiam ſunt matrimonii; ſine ſu[bſtan]tia vero res non poteſt ſubſiſtere.

(Matrimonium non eſt verum & prop[rie di]ctum Sacramentum, quia hujus deſtituitur re[]quiſitis, cum non ſit in novo demum teſtam[en]to inſtitutum; neque conſtet externo [] ſymbolo ſeu elemento cum re[] divina []. Nec habeat promiſſionem gratiæ ſalvifica[e] elementi illius additam; neque etiam Chriſtia[]nis ſit proprium, ſed cum infidelibus commune. Unde & ipſe Durandus *in 4. diſt. 26. q. 3.* [in]quit, *non eſſe matrimonium univoce ſacramentum, ſicut alia ſacramenta novæ legis, non ne[c] conferre gratiam non habenti: non ſit* [] *ſacramentum proprie & ſtricte dictum.* vid. la[]tius Joh. Gerhard. p. m. *loc. de conjug.* [] *aph. 16. & ſeqq.*

c. Tua nos 26. in verb. cum in eo nec ſup. De ſponſ & Matrim.

3. *Quid ſi conditio ſit turpis, vel impoſſibi[lis,] non tamen contra ſubſtantiam ma[]trimonii?*

Talis ut v. g. *Ducam te, ſi patrem [occi]deris, ſi digito cœlum tetigeris,* ſi con[ſen]tias in tale factum, quia ſubſtantiam ma[]trimonii non afficit, habetur pro [non] adjecta, idque favore matrimoni[i]

po[]

potius valeat, quam non valeat. Id quod & in ultimis voluntatibus obſervatur, quas plenius interpretari ſolemus. Neque præſumitur quis in ultima ſua voluntate aliquid joco dixiſſe. Ut neque qui contrahit matrimonium cum aliqua, præſumi debet jocari, ſed ſerio agere, licet vel turpem vel impoſſibilem conditionem adjecerit. Aliud dicendum de cæteris contractibus, quibus adjecta conditio impoſſibilis vitiat ipſum contractum.

L. Obtinuit D. De condit. & demonſt.

4. *Quid ſi conditio fuerit honeſta & licita?*

Matrimonio contracto ſub tali conditione, veluti: *contraho tecum, ſi centum des in dotem*, vel *ſi conſentiat pater*, ſuſpenditur ejus obligatio in eventum conditionis. Deficiente vero conditione, tum neque ſunt ſponſalia, neque matrimonium; niſi, antequam deficeret, quis conſuetudinem habuerit cum ea, quam ſub conditione ejusmodi ſibi deſponſavit, quia intelligitur a conditione receſſiſſe, conſenſiſſe in matrimonium.

l. Non ſolo 31. De oblig. & act.

c. 3. & 5. h. t.

c. pen. & c. ult. eod.

Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere poſſint.